



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvrис Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 7. Vitæ religiosæ suauitas, acquisita, vel perdata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](#)

men esset, dixit, se vocari Legionem. Ita totis legionibus quidam ad superbiam, auaritiam tentati, adhuc se à tentatione liberos arbitrantur. Sextò, Dei leuiter sensimq; monentis; & corrigentis magis, quām punientis clementia. Neq; enim panem illico subduxit negligenti, sed minuit, sed mindus condituit. Septimò, vis diuinorum colloquiorum, paternúsq; Dei erga filios prodigos ad frugem redeuntes animus. Vbi enim suam exhortatione motus est desertor, vbi ad pœnitentiam ac cellam se recepit, iterum eum diuina bonitas suscepit, & nutrituit, sed iam pane mortali manu confecto, ne diuino prodigo iterum ad insolentiam abuteretur.

§. VII.

*Vita religiosa suauitas, acquista,
vel perdata.*

Septimò, in hac etiam historia, tanquam in viua quadam imagine, sese intuentur Religiosi, qui, quia corporis sui curam negligunt, merentur curam Dei. An non enim liberimè vacant studijs & orationi? an non, dum illis nulla culinæ cogitatio, ne dum cura est, mensam paratam inueniunt? Addo, illis summam esse in pane & cibo suauitatem;

tem; ut non ficta pietate, sed verissimo testimonio profiteri possint, plus sibi frugales domi dapes sapere, quam si splendidissimis Principum epulis adhibeantur. Accedunt suauissimae illustrationes mentis, & dulcissimi motus animorum; spes certa futurae retributionis; mirifica vita securitas, *quasi juge conuiuum.* Hæc omnia illi habent: sed multi, sua culpa, vel mintunt, vel penitus amittunt; dum dormire largius, orare, parcius, ingurgitare se cibis ac potu intemperantiis, deserere consueta virtutum exercitia, fugere solitudinem, querere humana solatia, sectari alloquia, amare conuenticula; aucupari noua, frequentare profanorum conuentus, amare conuiua, adire aulas incipiunt. Quantò enim magis dominatur caro, tantò minus spiritus potest emergere; &, sicut qui vili olere repleuit famelicum ventrem, neque ficedulis, neque phasianis aut saccharo potest delectari, cum locus, in sacculo non supersit comedendis meliorib⁹; ita qui mundi filius se distendit, non est capax cœlestis dulcedinis. Ad Deum, atque ad se redeat, qui vult redire ad diuinæ voluptates; aut se dignum efficere epulis Angelica manu aut missis, aut paratis: ut dicere possit:

Psal. 67.
11. los. 5.
12.

possit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deum,*
De filijs Israël dicitur: & comederunt de
frugibus terræ. Quid sequitur? Defecitque
manna, postquam comederunt de frugibus ter-
ræ, nec usi sunt ultra cibo illo filij Israël, sed co-
mederunt de frugibus presentis anni terra Cha-
naan. Sic contingit filijs Dei: manna ha-
bent, sed manna subducitur, quando, cœle-
stibus neglectis, ad terrena gaudia conuer-
tūtur. Nec enim diuina delectatione dignus
est, qui præponit humanam.

C A P V T. XI.

Alia diuina, erga Dei seruos, dulcedi-
nis exempla.

§. I.

Varij modi, quibus Deus homines alit.

Nemo queratur de suis temporibus,
neque præferat nostro æuo sacra
antiquiora, quasi iam minus dul-
cis sit Deus, aut non ita beneficus, sed bene-
faciendo fatigatus. Adhuc idem est Numen,
quod fuit semper; adhuc, sicut omni æuo,
Mundum gubernat. Primum terræ; horto-
rum; arborum; agrorum fructibus; deinde
piscibus aquarum; tum etiam avibus, per
ærem, aduolantibus, denique feris
dome-